



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

98 Quinquagesima quando, & cui ab emphiteuta solvenda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

cedebatur, ut per emphyteutam bona emphyteutica meliorarentur, ac pro recognitione directi domini; quid minimum persolveretur, quæ melioratio loco pretii habebatur, Bald. in l. 1. num: 8. & ibi Iaf. num: 5, C: de jur: emphis. Abb. in cap. potuit, num: 7, de loc: & conduct: Specui: de loc: emphis: §: nunc aliqua, num: 2, in fin. & idem Bald, in auth: quas actiones, n: 3, C: de sacr. sanct: Eccl.

98 Cum igitur ꝑ melioramenta veniant ex natura contractus emphyteutici, non possunt diverso jure censerī, dicto cap: quia circa, de privileg: cum pro ecclesia emphyteuta possideat, ex quo causam habet, ab ea, volum. 2 ff: pro suo: & Specul eod. §: nunc aliqua, num. 59, in fin.

99 Quinimo in fortioribus terminis ꝑ privilegium concessum ecclesiis post concessionem privilegii ad constructas etiam extenditur, ut eod. cap. quia circa: de privil. Iaf. in l. qui siliabus, num. 12. & 13 ff. de leg. 1. & post Petr. Cyn. Rayn. Fulger. Boer & Aret. script Alexand. in cons. 178. nu. 1 3 lib: 2. quem citat, & sequitur idem Iaf: in l. fin. n. 12. C: de ver: signif.

100 Laici enim ꝑ prædia sterilia ad culturam reducunt, in illisque domos, & quandoque palatia, aut alias fabricas ædificantes, majori laude, & præmio sunt digni; quam, qui eadem ob desidiam pro derelicto habent, quia expedit reipublicæ, ut inculta colantur, & fabricis exornentur. Hac ratione Sixtus Papa V. ut Urbis incolæ ad domos in via Felici nuncupata, ab ecclesia Sanctæ Mariæ Majoris, usq; ad ecclesiam sanctissimæ Trinit. in Monte Pincio per ipsum strata, & directæ, necnon in via Pia per eundem etiam æquata ab eius palatio in Monte Quirinali, usque

ad ecclesiam sanctæ Sofannæ, & in vicis propè dictas vias dirigendis ædificandas allicerentur, sua perpetua valitura constitutione, tam domos in eadem via constructas & quæ indies construerentur, quàm earum dominos, & incolas variis privilegiis immunitatibus, & prærogativis munivit, & decoravit, ut in litteris Apostolicis motu proprio sub datum Romæ, anno 1587o Idibus Septembris expeditis, de quibus in Bull. Rom. eiusdem Sixti Quinti, cap. 64, pag. 225. unde hac eadem ratione emphyteutæ in prædiis ecclesiasticis fabricantes, de bono opere novis oneribus non sunt gravandi. Non enim debent bona ecclesiastica deterioris esse conditionis bonis laicorum: quod sequeretur si emphyteutæ, ultra canonem annuum, quem domino directo ecclesiis persolunt ratione emphyteotatum, seu emponematatum fabricatum & aliorum melioramentorum, collectas laicis persolvere tenerentur. Nam ex communi consuetudinetotius Italiæ, & ut puto, universalis Europæ compertum habemus, nulla pro melioramentis, quæ fiunt in prædiis tam urbanis, quàm rusticis laicalibus onera augeri. Ergo eodem modo, nec bonis, in quibus directum ecclesia, possidet dominium, ulla debent imponi. Qui autem hæc onera bonis emphyteuticis ecclesiasticis imponunt, & exigunt, ea in fraudem, & in apertum libertatis, & immunitatis ecclesiasticæ detrimentum extorquent.

101 Quod enim ꝑ emphyteutæ magis gravantur, minus prædia, seu domos, meliorare possunt, imò quandoque hac causa ad meliorationem retrahuntur. At ecclesiæ interest plurimum, ut pluribus melioramentis eius bona augeantur, cum pluribus ca-

libus